

SUBGENUS III HOLOTHURIA.

Pulmonibus instructae; discrimine inter dorsum et ventrem, et corpore nunquam perfecte cylindrico intervallum quod Pentactis et Molluscis interest, quodammodo explentes.

TRIBUS 2 BOHADSCHIA.

Dorso convexo, ventre planiore, cuti coriacea. Tentaculis 20 peltatis, duplici dispositis serie. Ano stellato pentagono.

Structura interna Bohadschiae et Mülleriae a veris non discrepant Holothuriis, quas etiam in forma externa magis quam Psoli et Cuvieriae aequant, sed ani forma radiata Pentactarum quandam offerunt analogiam.

Etiam huius tribus nullae adhuc species descriptae esse videntur.

Cum iam alii virorum de historia naturali meritorum nomina ad significanda Holothuriarum subgenera adhibuerunt, etiam Bohadschio, de Holothuriarum historia naturali meritissimo hic locum tribuere licitum censui, quamvis in ceteris haec nomenclaturae ratio memoriae obvia, et a genio linguae, quae aut phantasiae aut ingenio imaginem aliquam obiecti dare studet, aliena mihi esse videtur.

Sp. 2. *Ocellata*. Collect. Schoenl.

Pedalis: 3 pollices in diam., subdepressa, dorsum convexum, venter planior, paene margine circumdatus, albidus, maculis irregularibus dilutis, cinerascens. In medio ventre in duas lineas longitudinales dispositae conspiciuntur maculae rotundae castaneo-fuscae, 3 in diam., habentes lineas. In ventris utroque margine maiorum, minus regularium et saepe confluentium macularum fuscaram conspicitur tractus, quae quidem maculae atrofuscis circumdantur lineis. Dorsum colore intense cacao-fusco gaudet, et maculis lucide castaneofuscis irregularibus, magnis (lineas 5 in diam. habentibus) ornatum est, quarum margo atrofuscus zona zingitur albida.

Pedes $1\frac{1}{2}$ lineas longi, conici, in dorso aeque atque in ventre. Epidermis albido horum pedum basin amplectitur annulo, imprimis in dorso. Tentacula alba, basi membrana subfusca iuncta, peltarum lacinia dichotoma, tentaculorum circulus plurimis circumdatus est pedibus.

Celebes.